

*Non sunt inventi qui redirent ut darent gloriam Deo  
nisi hic alienigena?*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

17, 11-19

- <sup>11</sup> **F**actum est dum iret Iesus in Ierúsalem,  
et ipse transíbat per médiam Samaríam et Galiléam.
- <sup>12</sup> Et cum ingrederétur quoddam castéllum,  
occurérunt ei decem viri leprósi,  
qui stetérunt a longe,
- <sup>13</sup> et levavérunt vocem dicéntes:  
«Iesu præcéptor, miserére nostri!».
- <sup>14</sup> Quos ut vidit, dixit:  
«Ite, osténdite vos sacerdotibus».  
Et factum est dum irent, mundáti sunt.
- <sup>15</sup> Unus autem ex illis,  
ut vidit quia sanátus est,  
regréssus est cum magna voce magníficans Deum
- <sup>16</sup> et cécidit in fáciem ante pedes eius  
grátias agens ei;  
et hic erat Samaritánus.
- <sup>17</sup> Respóndens autem Iesus dixit:  
«Nonne decem mundáti sunt?  
Et novem ubi sunt?
- <sup>18</sup> Non sunt invénti qui redírent,  
ut darent glóriam Deo,  
nisi hic alienígena?».
- <sup>19</sup> Et ait illi: «Surge, vade;  
fides tua te salvum fecit».

Verbum Dómini.